

DE CONSERVANDA

- Lepra.** illa loca ad partem oppositam. Nonum est, & lepra conferre, maximè si fiat cum uomituo forti, uelut helleboro, eiusmodi namq; uomitus euacuat materias quæ sunt in locis remotis, & difficilis medicationis, ex quibus fit lepra. Corrigit etiam digestionem primam, unde & aliæ digestiones melius procedunt. Lepra enim peccat corruptione digestiua. Decimum est, malitiæ coloris in cute, ex aliquo humore conferre, ipsum à cute diuertit. Vndecimum est, conferre Epilepsia stomachicæ, euacuando scilicet humorem contentum in stomacho, ex cuius effumatione Epilepsia causatur. Duodecimum est, conferre ictero, & maximè illi qui ex oppilatione prouenit. Nam ob motum fortem in uomitu, materia oppilans à loco ubi oppilationem faciebat, remouetur. Euacuatur item per uomitum materia phlegmatica, quæ ferè caussa esse solet istius oppilationis. Decimum tertium est, conferre asthma, euacuando materiam antecedentem è stomacho, quæ materiam asthmatis fouebat, calfaciendo etiam membra spiritua-lia, & pulmonem, ex quorum calfactione consumuntur superfluitates, unde asthma oriebatur. Decimū quartum est, tremori conferre & paralyssi, euacuat enim harum passionum materiam. Decimum quintum est, conferre habentibus ulcera nigra, magna in extremis partibus, diuertit enim humores à partibus illis.

Et licet uomitus rectè adhibitus, hæc commoda præstet,